N. 46/pr.

CURRENDA VI.

A. D. 1878.

NOS

JOSEPHUS ALOJSIUS

LIBER BARO

PUKALSKI

Dei et Apostolicae Sedis Gratia

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

Suae c. r. Apost. Majest. Consil. intimus actualis,

Suæ Sanctitatis Prælatus Domesticus, Solio Pontificio Assistens,

Comes Romanus,

Eques c. r. Ordinis Coronae ferreae II. Classis, Commendator Ordinis c. r. Austr. Francisci Josephi,

Membrum Comitiorum Regni Galiciæ, Præses Commissionis pauperum Tarnoviae &c. &c.

Universo P. T. Clero saeculari et regulari nec non populo fideli in Dioecesi Nostra Salutem et Benedictionem.

Gaudium magnum annuntiamus Vobis:

„Habemus Papam."

Ecce! quae Excellentissimus Illustrissimus ac Reverendissimus Ludovicus Jacobini, Archiepiscopus Thessalonicensis et Nuntius Apostolicus Viennensis sub 21. Februarii 1878. N. 9787. Nobis scribit:

Excellentissime ac Reverendissime Domine!

Pater misericordiarum et Deus totius consolationis Ecclesiam suam Sponsam vestimentis viduitatis indutam diu remanere non permisit, Eique caput visibile destinavit in persona Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis Joachim Pecci, qui a Sacro Cardinalium Collegio hesterna die juxta leges et praescriptiones canonicas ad S. R. Ecclesiae Pontificatum evectus est, quique nomen LEONIS XIII. assumpsit.

Dum faustissimum hujusmodi nuncium, nulla interposita mora, festivo animo transmitto, haud dubito Excellentiam Tuam Rmam immensae divinae bonitati gratias pro tanto beneficio cum Clero et populo acturam esse, simulque fervidas preces fidelium omnium Pastori adhibituram ut suas vices gerentem in terris diu sospitet, assidue protegat, omnibusque, in praesentibus difficillimis pro Ecclesia temporibus, abunde repleat atque roboret auxiliis et charismatibus ad agnos et oves pascendum necessariis.

Omnimoda venerationis et obsequii significatione libentissime persevero Excellentiae Tuae Reverendissimae,

VINDOBONAE, 21. Febrarii 1878.

Humil. Addmus Servus

Ludovicus

Archiepiscopus Thessalonicensis Nuntius Apostolicus.

Itaque post tristissima fata Magni Pii IX.

LEONEM XIII.,

Deus, omnium fidelium Pastor et Rector, *Ecclesiae suae Pastorem* praeesse voluit. Cardinalis Joachim Pecci, natus 2. Martii 1810. Carpineti in Italia, vir secundum cor Dei, mirabili dispositione divina et exultante in toto Orbe Terrarum mundo, *Vicarius Christi et Principis Apostolorum S. Petri Successor* nobis est datus.

Adeamus igitur cum fiducia thronum Majestatis Dei nostri et gratias agentes pro hocce novo documento bonitatis et clementiae divinae erga Sponsam Christi in terram i. e. Ecclesiam nostram Sanctam Romano-Catholicam, oremus pro Pontifice nostro **Leone XIII.**

Hunc in finem sequentia ordinamus:


In qualibet Ecclesia Dioeceseos Nostrae, sive parochiali sive filiali (expositurali) aut regulari, proxima *Die Dominica* celebretur *Summum Sacrum cum Expositione SSmi in Monstratorio.* Missa sumatur prouti in Festo S. Petri Antiochiae (vide Missale Romanum) cum oratione: „*Deus omnium Fidelium Pastor et Rector famulum Tuum LEONEM XIII.* . . . . et commemoratio SSmi sub una conclusione.“

Finito Sacro, pulsantibus omnibus campanis eccl. cantetur „*Te Deum laudamus*“ cum Benedictione in fine et oratione: Deus omnium fidelium Pastor . . .

Statim ac praesentes litteras Parochus quilibet sive Administrator aut Expositus vel Praepositus regularis acceperit, annuntietur haec ordinatio populo fideli et invitentur quoque c. r. Officia,

Dabamus in Aedibus Nostris,

Tarnoviae die 23. Februarii 1878.



JOSEPHUS ALOJSIUS,

EPISCOPUS TARNOVIENSIS.

Typis A. Rusinowski. Typographi ad honores Episcopalis. Impensis Consistorii.